



1. Boeck / Friderici Samuelis / Diss. De Notione  
Immensitatis Dei amplificanda Co  
templatione magnitudinis Mundi  
Regionum 1766, Autor J. C. Reicard.
2. Bode / Christophorus Augustus / Protevan  
gelium Genesios Cap: 111 Vers: XV. Helm  
stadt 1763.
3. Boekmer / D. philip Adolph: / programma, de  
Christo filio Dominis, Halle 1765.
4. ——— programma, addita est illustratio  
addita est illustratio Loci 1 Corinthi 21. vers, 51,  
Halle 1766.
5. ——— programma in Commentationem ad  
illustrationem Actuum Apostolorum, 1766.
6. Büchner / J. Andreae Elie: / programma in  
diem natalem Christi, Halle 1768.
7. Carrach / J. J. Tob: / programma paraletici  
Appellatione Spiritui Sancto tributa,  
Halle 1764.

FRIDERICIANAE REGIAE  
 P R O R E C T O R  
**ANDREAS DE SEGNER**  
 REGIS A CONSILIIS INTIMIS  
 MATHEMATVM PROFESSOR PRIMARIVS  
 CVM DIRECTORE  
 ET  
 RELIQVO SENATV ACADEMICO  
**FESTOS PASCHAE DIES**  
 RITE CELEBRANDOS  
 INDICIT  
 PRAEMISSA DISPVATIONE  
 QVA  
 DE MAGNO ILLO OVIVM PASTORE IESV CHRISTO  
 E MORTVIS EDVCTO  
 EX  
 EBR. XIII. COM. XX.  
 DISSERITVR.




H A L A E  
 TYPIS ORPHANOTROPHEI  
 CIOIJCCLXV.

*Author professor  
 Dr. H. A. Segner*

Verf: Gottlieb Anastasius Freylinghousen

AK





Quae mortem Seruatoris ac Domini sui, post exantlatos tot cruciatus, et toleratas tot tam graues iniurias oppetitam, grata piaque memoria adhuc recoluit sanctior ciuitas, eadem nunc ad laeius spectaculum resurgentis ex sepulero Christi vitamque immortalem auspicantis venerabunda erigitur, factisque in gloriam victoris ac regis rite faciundis cum maxime accingitur. Et priora quidem illa quae diximus, ignominiae, perpesiones, mortis supplicium palam redemptori atque in oculis multorum hominum euenisse nouimus; gloriosam resurrectionem sub ortum tertiae a morte lucis non item, sed remotis velut arbitris. Et tamen prouisum abunde est ab optimo Numine, cuius his omnibus euentis praesidebat sapientia, ut hic in vitam redirus, satis claris argumentis confirmatus, longe supra erroris periculum poneretur et dubitationis aleam. Atque hoc ipsum grati adfectu animi laudibusque meritis profequimur diuinum beneficium, praesertim cum non solum id Deus curauerit, ut de rebus quae euenerunt ipsis indubie inter nos constaret, verum etiam hoc, ne ignoraremus, quorsum ista omnia spectarent, et quomodo illi, quos historia euangelica habet euentus omnes ac singuli, cum nostra mortalium re causaeque essent coniuncti. Omnino statuendum est absoluisse hoc modo beneficium suum illum *Patrem luminum a quo omne donum bonum perfectumque manat* Iac. I, 17. cum si sine altero hoc fuisset, admirationem quidem mouere, forte et horrorem eiere, at solatii nihil nobis adferre potuisset vel accuratissima casuum Iesu Christi narratio et historia.

Non est instituti nostri, Ciues aestumatisimi, quae de resurrectionis dominicae vel veritate vel vi ac virtute non inutiliter commemorari possent, hoc loco persequi vberius; cui argumento quod vix capiunt huius descriptionis angustiae, amplius pia salubrique meditatione agitando, hos quos indicimus festos dies vel maxime velimus a vobis consecrari, conferri etiam ad hanc ipsam rem adiuuandam, praeconum Euangelicorum publicam viuamque vocem haud sane defuturam. Vt tamen, dum vsurpamus denuo non nouum sed pridem et cum ratione in Academiis introductum morem, proposito breui libello Vos compellendi, eorum qui vel hoc adminiculo vii volent, inferuimus studiis; visum est immorari paulisper sententiae apostolicae de Christi in vitam reditu, quae epistola ad Ebraeos in extrema (c. XIII, 20.) exstat; quaeque est verborum ponderibus ac potius rerum grauissima, cum DEVS PACIS ipse dicitur, EX MORTVIVS EDVXISSE PASTOREM ILLVM OVIVM MAGNVM, PER SANGVINEM FOEDERIS AETERNI, (nempe) DOMINVM NOSTRYM IESVM.

Et haec quidem verba quae modo descripta exhibuimus, si ipsum contextum sacrum inspicias, decerpta ex sanctissimo voto sunt, quo ea quae adhuc persequutus erat scriptor facer, velut obsignare voluisse videtur, more alias etiam in diuinis his epistolis non inusitato. Dixerat, in votis sibi esse, vt suum ad Ebraeos reditum, (de quo breui post (v. 23) quid sibi propositum esset aperit), precibus suis ipsi fideles illi maturare studerent, quibus nempe si restitueretur plus etiam quam vel longissima epistola fieri posset, adiumenti eorum erat adlaturus. Enimuero cum id ipsum diuino esset arbitrio relinquendum, cumque et in his viris quos Dei alias Spiritus in docendo defendendoque Euangelio agebat, futuri temporis exitum, actusque et casus ab ipsismet subeundis obscura velut nocte premeret diuina sapientia: igitur ne nimis essent de isto apostoli aduentu solliciti, nimiumque, si Deo aliter esse visum animadverterent tristes, ad Deum ipsum eos veluti ablegat remittitque, ipsis quidquid de isto itinere suo fieret, praesentissimum, propitiumque futurum, et eundem ad omnia succedendum abundantissime; Christum etiam eumque rediuuam in memoria ipsis esse vult, summum pastorem ouium, cuius ipse non nisi seruus esset et cum aliis sui similibus administrator. Itaque videtur hoc votum similiter fere eademque mente proxime praegressis subiici, qua 2 Thesf. II, 16. 17. illa *αὐτοὺς δὲ ὁ Κύριος* κ. λ. illis quae ibi praecedunt de opera in docendis Thesalonicensibus ab Apostolo vel datis litteris vel coram nauata (v. 15). Nec omnino aliter 1 Thesf. III. constituenda videtur cohaerentia eorum quae v. 10. 11. de suo eosdem videndi desiderio commemorauerat, cum subiunctis v. 12 et 13 precibus votiuus.

Ac in nostro quem excitauimus supra, loco, ad Patrem Domini nostri Iesu Christi qui per hunc filium suum maioribus Ebraeorum loquutus esse in-eunte statim dicebatur (c. I. 1.) epistola, diriguntur vota, isque ampliori ac momentosa descriptione ornatur, quae tota eo comparata est, partim vt traditarum per omnem epistolam rerum summa fastigia et quasi nervos sub finem breuiter colligere videatur, partim vt firmum fiduciae in precando haec et rogata expectando fundamentum demonstraretur. Subsister intra huius ipsius descriptionis terminos nostra in praesenti disputatio, quippe cum iisdem et ea contineantur quae cum paschalis huiusce temporis rationibus arctissime coniuncta sunt, sui que recordationem hoc ipso nomine commouerunt.

Obiicit se vero in fronte statim orationis votiuae dulcis DEI et multum toti sententiae ponderis addens titulus. Nec enim simpliciter, id quod alioquin suffecturum videri queat,  $\delta \Theta\epsilon\omicron\varsigma$  appellatur beneficii supremus auctor, sed adnexo velut corollario  $\delta \Theta\epsilon\omicron\varsigma \tau\eta\varsigma \epsilon\iota\eta\eta\upsilon\varsigma$ , *Deus pacis* audit. Est illa dicendi formula N. foederis scriptoribus et in his Paulo apostolo (a) propria, fecundique eadem omnino sensus est. Nam et Dei voluntas quam propitia sit erga mortales significatur, et qua ille voluntate erga se inuicem esse velit qui ad ciuitatem eius familiamque pertinent. Et ad prius illud quidem quod atinet, cum magna grauisimae in offensa genus omne hominum apud Deum immortalem esset; ipse quamuis omnis ex sua parte expers culpae, expers periculi, prior tamen de reconciliandis his qui arma quasi contra tulerant consilium iniiit, pacemque per *Pacis principem* filium restituit, eoque insigne amoris sui et immensae  $\epsilon\upsilon\chi\alpha\rho\epsilon\omicron\phi\iota\lambda\alpha\varsigma$  monumentum statuit. Rom. V, 6 sqq. Iam qui illam totius mundi reconciliationem vero fidei obsequio acceptant, suumque faciunt hoc modo beneficium quod offertur omnibus, hi vero per hanc fidem *iustificati pacem habent cum DEO per Iesum Christum Dominum suum*. Rom. V. 1. causam porro nullam habentes cur hostile quiddam triste ac feuerum a Deo metuant, iustissimam contra ac summam, cur ab eius indulgentia, quae ad veram aeternamque salutem pertineant, haud dubie praestolentur vniuersa. Ad-iungatur vero momento huic, quod omnino primum est atque primarium, alterum etiam, nempe vt dulci illa nomenclatura  $\tau\omicron\upsilon \Theta\epsilon\omicron\varsigma \tau\eta\varsigma \epsilon\iota\eta\eta\upsilon\varsigma$  illud simul significari penitusque animis nostris insigi statuamus, velle Deum vt pacis, vt concordiae et amoris inter se studiosi essent homines, ii praefertim qui summum illud diuinam mansuetudinis exemplum essent edocti, atque etiam fructus illius facti participes. Hoc ipsum erat quod in condenda Christi ciuitate admonendum

(a) Rom. XV, 33. XVI, 20. 1 Cor. XIV, 33. 2 Cor. XIII, 11. Phil. IV, 9. 1 Theff. V, 23. 2 Theff. III, 16.

dum erat praecipendumque diligentissime, quandoquidem ex duabus quasi familiis, gentium et Iudaeorum ad ipsum conuersis, tamquam in vnum corpus coalesceret haec sanctior res publica. Quae ratio si cui in Ebraicis ab Israelis communi stirpe genus ducentibus locum non habuisse videatur; alias facile dabit causas esse potuisse quae et horum animos distraherent, facerentque necessariam illam *προσφώνησιν* c. XII, 14. *ειρήνην διάκετε κ. λ.*

Quae excipiunt istam Dei tam praeclari omnis denominationem reliqua incisi huius verba, opus eiusdem magnificum et orbi salutare loquuntur, Christi resuscitationem, *ὁ ἀναγαγὼν ἐκ νεκρῶν κ. τ. λ.*

Primum quod hic quasi oculos mentis nostrae ferit, et meditatione dignissimum est, absolvitur illius qui ab inferis excitatus est et deinde diferte *Iesus Dominus noster* vocatur, denominatione ea, quae ipsum sub persona et charactere sistit *pastoris ouium magni* s. vt graeca *ἐμφαντικώτερον* sonant τοῦ ποιμένος τῶν προβάτων τοῦ μεγάλου. Ita quem in superiori tractatione Ebraicis modo vt Filium DEI, modo vt hominem verum nobisque *ἐμοῦσιον*, nunc vt Apostolum s. magnum Dei legatum atque interpretem Mose aliisque summis viris maiorem, tum vel inprimis ceu Archisacerdotem copiose et grauius praesentauerat, eundem inducto nouo quodammodo schemate sed ab illis si rem spectes non adeo alieno *Pastorem ouium magnum* nominat. Nouum id schema diximus non sane quasi non ante ab aliis adhibitum de Messia, est enim, quis nescit? frequens, si quod aliud, et peruetustum; sed quod post tot alia hac in epistola illustrata, hic illud primo se offerat. Cuius delectus ratio videtur ex praegressis non incommode posse repeti, si statuamus summum hunc *Pastorem ouium* opponere quasi scriptorem epistolae voluisse et sibi ipsi, (nam de se dixerat) et aliis sui similibus antistitibus humanis doctoribusque quos v. 17 commemorarat, non diuersos vt videtur ab eo genere de quo v. 7 loquitur, quos τὸν λόγον τῆς Θεῆς (id vero est ex vfu sacro N. T. doctrinam et religionem christianam) ipsis tradant, et in haec velut pascuā ipsos ceu mystici et spirituales pastores deducant. Vt enim alicubi peculiaris quidam ordo designari hoc nomine τὸν ποιμένων videatur, s. genus certum ministrorum illius aetatis ecclesiae (Eph. IV. II.); id tamen non obstat, quo minus latiori significatione ad omnes in vniuersum pertineat qui coetui sacro diuinis doctrinis praeceptisque instruendo moderandoque constituti, sunt, vt cum Ieremia loquamur (Ier. c. XVII.) nisi forte degeneres mercenarii sint אחרים אחרים *pascentes post Dominum* h. e. auctoritatem, exemplum, vestigia sequentes Pastoris summi (Es. XL, II.) His quamquam obediendum esse, eorumque memoriam sancte custodiendam praeceperat, si qui vita excessissent, discernit tamen ab his secundariis, temporanis, debilibusque illum qui ἐξόχως ὁ ποιμὴν τῶν προβάτων,



των, velut monadicum ecclesiae caput dicitur, et longe omni ex parte cunctis aliis est praestantior. Hic enim ille est, de quo tot magnifica olim oracula fuderunt in DEI populo vates prisci, *in quibus Christi spiritus fuerat* I Petr. I, 10. 11. Quis dubitet enim, quin cum exsertum velut in se digitum intendens EGO sum, inquit, *pastor ille bonus*, Io. X. cuncta diuinitus praedicta de singulari quodam exhibendo pastore ad se, ad se vnum, et summo quidem iure trahat Dominus? Hoc nimirum videtur dicere: Quem *Iesaias* cecinit c. XL, 11. quem *Michas* olim in spiritu vidit *stantem et pascentem in robore Domini* c. V, 3. de quo tam multa pridem tamque magnifica *Jeremias* c. XXIII, 5 sqq. atque *Ezechiel* c. XXXIV. XXXVII. prodiderunt, quem denique *Zacharias* c. XIII, 7. *Dei pastorem, Dei proximum* (b) celebravit, is inquam EGO sum; iam deinceps alium expectare, me reiecto, capitale et saluti inimicum est.

Hic Pastor cum oecumenicus sit, apparet porro tam late parere, *ouium*, quarum hic mentio sit, gregem, nulla vt gens sit, cuiuscunq; subiecta caelo, quin hunc colere et ab hoc vno omnem debeat salutem sperare. Act. IV, 12. Nam licet Israelis profetiae promissus primum, nec ipse dum in terris pastoritio *ἀνορεσώσις* fungeretur munere, dissimularit *oues domus Israelis perditas* curandi prouinciam sibi proprie datam; constat tamen vel ex Io. X. neque hoc auditores suos celasse Christum, *alias sibi quae quasi ex alio ouili sint, esse oues*, easque, vt deinde factum est, ab se *adductum iri*, vt vnum sub se ceu communi et *unico pastore gregem* cum prioribus illis facerent. Intelligimus ergo, cum nostro in loco simpliciter et sine restrictione mentio fiat *των προβατων*, totum credentium coetum ex vtroque ouili ad vnitatem fidei congregatorum; quid? quod si saluum maneat discrimen quod res ipsa fert secum et Scriptura constanter facit, non alienum credimus, oues *errantes* iuxta cum *conuersis ad pastorem* (I Petr. II, 25.) h. e. omnem hominum vniuersitatem, quatenus nemini non parata ac destinata est gratia illius boni pastoris comprehendere.

## Infunt

(b) Vis illustris huius oraculi Zachariae ex versionibus saepenumero non satis percipitur, in quo illud *עמית* ex constanti vsu ac significatione *עמית* in Cod. ebr. declaratur merito. (conf. cocc. in *Lex. ebr.* ALTING. *Opp.* T. IV. p. 144. et B. D. MICHAELIS *Adnot. h. l.* in *Bibl. ebr. Hal.*) Vt enim nomen hoc cum homini tribuitur, eiusdem notat naturae participem et quasi *cobominem*, (vti graecum

*τὸν ἀνθρώπον* quidam germ. interpretantur *Mirmenschen*) ita qui a Deo sic dicitur relate ad Deum, *ἐμοῦσιος* ipsi fit necesse est Io. X, 30. Quod mysterium cum non animaduertent interpretes graeci, perperam interpretati sunt *Alex.* quidem *πολιτην μου*, *Aquila* autem *σὺμφυλον*; quasi propheta ex sua persona totum illud pronuntiaret, qui tamen aperte subiicit solenne illud *נאם יהוה עמית*.

Infunt autem in dulci illo atque vt vidimus iam pridem ante aduentum Domini in carnem consecrato et frequentato emblemate, *Pastoris*, longe plurima quae aliis atque aliis modis verbisque de Christo et prophetae testantur et apostoli; ita vt illud quasi summam continere videatur eorum, quae ad triplicem alias functionem mediatorii muneris referri solent. Quos enim sibi in pcculum et *λαὸν περισσίον* carissimo redemit acquisiuitque proprii sanguinis pretio, hos summo amore profequitur, congregat, curat, pascit, tum ea quae pastori propria esse solet indulgentia et lenitate regit ducitque, tuetur etiam ac defendit, tandemque ad absolutissimam salutem euehit aeternumque duraturam.

Hic ille est, qui *ὁ ποιμὴν καὶ ἐπίσκοπος τῶν ψυχῶν* Petro dicitur (1 ep. II, 25.) quo altero adiuncto nomine expresius designatur id quod alioquin boni pastoris in officio est, nempe vt non pabulum modo prospiciat gregi f. fideliter et rite pascat, verum vt ad caetera etiam vigilem se praestet et oculatum. Nec alius sed ille idem est, qui ab eodem apostolo *ἀρχιεπίμην* vocatur (1 Petr. V, 4). Huius *ἔξοχην* pariter declaraturus Paulus apostolus (qui epistolae ad Ebraeos auctor a plerisque agnoscitur) h. l. appellat τὸν ποιμένα τῶν προβάτων ΤΟΝ ΜΕΓΑΝ. Quo in epitheto (τῷ μεγάλῳ) agnoscimus merito vsitam alibi quoque permutacionem graduum (vt cum Grammaticorum filiis loquamur) positiui et superlatiui, vt tantumdem *ὁ μέγας* valeat dicarque quod *ὁ μέγιστος*. (c) Maximus porro Iesus Christus dicitur, non eam solum ob rationem, quod maior omnibus habendus sit quibus vnquam scriptura hoc *pastorum* nomen tribuit suae regibus aliisque populorum rectoribus (qui et exteris *ποιμένες λαῶν* dicti) siue doctoribus et diuinac voluntatis ad homines interpretibus; sed absolute etiam et omni modo *maximus* sit, primum ipse Deus, Iehoua (Es. XL, 10. II. Jer. XXIII, 6.) par et aequalis patri Filii adeoque id *ἄξίωμα* habens, eam naturam vt nec maius esse possit ipso nec quidquam vigeat simile et secundum. Quam gloriam *ὡς μονογενοῦς πατρὸς πατρὸς* et carni f. humanitati eius in qua omne *πλήρωμα τῆς θεότητος* habitat, propriam ac perpetuam factam esse nouimus Io. I, 14. Col. II, 9. 1 Tim. III, 16. Zach. XIII, 7. Io. V, 17. X, 30 cet. *Maximum* deinde ipsius functionis pastoralis perfectione etiam, gregisque innumerabilis magnitudine dici eundem planum est et in aprico

(c) Cuius generis est *ὁ μέγας βασιλεὺς* Matth. V, 35. vbi quod Luth. noster *eines grossen Koenigs Stadt* verit, non inepte ab HEYMANNO conuersum est *des groesfesten K. St.* Sjc Matth. XXII, 36. *ἡτοιμὴ μεγάλη* ipse Luth. *das vornehmste Gebot* et v. 38. *das*

*vornehmste und groesfeste Geb.* Io. VII, 37. *ἡμεῖα ἢ μεγάλην.* Et quid notius, quam qui saepe *Ἀρχιερεὺς summus sacerdos* f. *Pontifex maximus* dicitur hunc alibi *ἰσθία μέγαν* (הַכֹּהֵן הַגָּדוֹל) dici vt Ebr. X, 21. cet.

aprico positum. Et hic quidem recordamur, haud paucos interpretes, nec indoctos ea quae sequuntur verba, ἐν αἵματι διαθήκης αιωνίου praecedenti (τὸν μέγαν) quam arctissime adiungendum putare, aut saltem si simul ad praecedens nomen (τὸν ποιμένα) trahant, a praegresso ὁ ἀναγκαγῶν diuulsū ire. Sed forte hos, vt hanc rationem inirent, impulit, quod sententia obscurior et explicari difficilior emergere ipsis videretur, si Christus *ex mortuis eductus* diceretur ἐν αἰ. δ. αἰ. quam quidem cohaerentiam LUTHERI vernacula versio legentibus suggerit. Enimvero cum aliae quae tentantur verborum sacrorum coniunctiones minus concinnae videantur, et quiddam ab vsu sermonis et consuetudine alienius sonare, et vero totus ille προσδιορισμὸς, vt infra videbimus, satis apte et suffragante analogia Scripturae cum dictione *actum diuinum* s. *opus Patris caelestis* (ὁ ἀναγκαγῶν ε. v.) designante, connecti queat, non est quod supra dicta a nobis misa fiant.

Quemadmodum vero non medioerem ad animos Ebraeorum vim habere debebat ac poterat, eosque ad deserendam illius ad quem conuersi erant *maximi pastoris* disciplinam ex parte pronos, sacro quodam horrore percellere id, quod de illius magnitudine scriptor diuinus commemorauerat; ita haud minus attinebat, hunc eundem ποιμένα ψυχῶν illis sisti non vt mortuum modo ac sepultum, quo offendi si nihil aliud accederet potuissent, verum etiam vt reuocatum in vitam gloriosissime. Et illa quidem vitae pro nobis profusae resumptio (λήψις τῆς ψυχῆς Io. X, 17. 18.) atque vt Io. II, 19 sqq. haec ipsa dicitur, ἐγερσις τῆς ναοῦ τοῦ σώματος quamquam vi ac virtute propria resurgens Domini vrique facta sit, adscribitur tamen frequentius fere Patri, quem et h. l. illo nomine τῷ Θεοῦ τῆς εἰρήνης notari supra diximus. Hic cum pro sapienti quae in procuranda salute nostra vsquequaque obtinet oeconomia, iudicis partes sustineret, cui lytron esset pro nobis soluendum: par erat vt hoc accepto et sic aere alieno quod nos contraxeramus disfoluto, idem qui in mortem ob nostra delicta ipsum tradiderat, mortis ipsum vinculis exfolueret, et hoc modo re ipsa satis sibi factum esse declararet, quo etiam facilius fidei in Deum reconciliatum generi nostro, ipeique et fiduciae ratio nobis constaret. 1 Petr. I, 21. Rom. IV, 24. 25. 1 Cor. VI, 14. Act. II, 24. III, 15. cet.

Meretur hic obseruari rarius et non sine consilio delecta dictio ἀναγκαγῆν ἐκ νεκρῶν quacum mutare hic diuino scriptori placuit vsuatiorem illam et obuiam frequenter de resuscitatione vel Christi vel nostra, ἀναστῆσαι vel ἐγείρειν ἐκ νεκρῶν. Quod ad eam quae hic exstat dicendi rationem attinet, nusquam ea in sacris his libris reperitur, si ab vno disceseris Paulino loco Rom. X, 7. Quo in contextu orationis cum oppositum τῷ ἀναγκαγῆν videamus τὸ

καταγαγῆν, confirmatur hoc ipso, prius illud non solum *reductionem* in-  
nuere in hac ἐήσει (quamvis nec hoc alienum a re foret) verum ἀνὰ in com-  
posito verbo hoc inter alias quas alioquin habet significationes eandem quam  
τὸ ἄνω vim habere, vt sit, *ex humili* s. *profundo sursum* s. *in altum et apri-  
cum euehere*, respondeatque adeo ebraeorum מִלְּמַט; quod ipsum per suum  
ἀναβιβάζειν, eiusdem potestatis vocabulum LXX reddunt in loco propheticō  
Esaï LXIII, II. (d) ad quem ipsum alludere et quasi παραρθεῖν h. l. Paulum, non  
absimilis vero est B. BENIGLI sententia *Gnom. N. Test. ad Ebr. XIII, 20.*  
Nec incongruum fuerit, aut vel a scriptoris sacri consuetudine vel ab eorum  
quibuscum his litteris proxime agitur conditione rationibusque alienum, si,  
posito illo ad locum Esaïae respectu, Christum Iesum tacite cum Mose veteris  
oeconomiae sequestro comparari eique praeferrī statuas. Moses enim si quae-  
rimus is ipse est, quem ποιμένα τῶν προβάτων propheta vocat l. c. cuius quip-  
pe deinceps statim expressa mentio exstat; (v. 12. ἀγαγὼν τῆ δεξιᾷ Μωϋσῆν  
κ. λ.) Liceat, quo vis et ratio huiusce comparationis paullo clarius luceat,  
hunc in modum eandem aliquando expressus informare: „*Omnipotens ille*  
„*Deus, qui maiores, Ebraei, vestros, Mosi (ceu gregem pastori) commiserat,*  
„*ex Aegypti calamitate vindicandos et in sedes novas olim promissas deducen-*  
„*dos, is inquam qui seruum hunc in omni domus suae procuracione fidelem,*  
„*marinis ex fluctibus saluum ac sospitem cum populo suo eduxit, auctorita-*  
„*temque eidem in condenda noua cultus sacri oeconomia hoc ipso miraculo tam*  
„*illustri et suis saluari conciliauit; idem ille Iesum, filium suum maiorem Mo-*  
„*se, caeterisque seruis suis omnibus, cui non vna gens sed humanae omnes ex*  
„*duriori, quam Aegyptiaca, fuerat, seruitute in libertatem adserendae*  
„*erant, hunc talem tantumque ex sepulcri ac mortis faucibus ereptum in sub-*  
„*lime euexit, fidemque hoc ipso adstruxit omnibus illius dictis factisque ac*  
„*praesertim ad nouam ciuitatis suae constituendam formam spectantibus insti-*  
„*tutis. Itaque huic Iesu de quo et Moses scripsit, vos multo etiam quam Mosi*  
„*magis dicto audientes esse conuenit.* „ Nec duplicem illam ex maris pro-  
fundo ibi, hic ex sepulcri antro ἀναγωγῆν inter se conferri mirum atque in-  
solentem videbitur recordantibus, etiam Rom. VI. submerfionem in aquam, quae  
in Baptismo antiquitus fiebat, sepulturae, contra vero emerfionem ex illis ipsis  
aquis, resurrectionis figuram fisci et velut expressam imaginem. (e)

Quodsi ad rem ipsam respiciamus quam his verbis Ebraicis proponit apostolus,  
idemem fere vt alibi Timotheum suum cupiens hos recordari *Iesum Christum ex*  
*mortuis suscitatum* (2 Tim. II, 8.) haud difficile est ad intelligendum, quorsum  
ista

(d) ὁ ἀναβιβάζων ἐκ τῆς θαλάσσης τὸν ποιμένα τῶν προβάτων ὁ.

(e) cf. etiam Rom. X, 7. cum Deut. XXX, 12.

ista commemoratio rei alias non ignotae lectoribus epistolae, spectauerit. Nam et fidei christianae totius firmissima basis immortumque fundamentum (quodamto *vana* esset *fides* 1 Cor. XV, 14.) alibi resurrectio Domini ponitur, idque adeo in professione christianissimi nutantibus Ebraeis reperti vel in fine epistolae omnino attinebat, et solatium insuper incredibile speique fulcrum cogitationem gloriosae illius ἀναγωγῆς quis dubiret adferre potuisse, multorum aduersorum mole pressis metuque maiorum malorum debilitatis? Idque eo magis, cum non ad breuem (qualis illa prior in terris acta fuerat) sed ad immortalem vitam et ἀναστάσεως (Ebr. VII.) constaret illum rediisse ouium sub carne laborantium et sub cruce luctantium pastorem, cuius *sub pedes* etiam vt regis *gloria et honore coronati cuncta Deus subiecerat* vt incunte iam traditum erat epistola c. II. 7. 8.

Restat, vt nonnihil etiam de iis verbis, quae adiuncta iam illustratis sunt, dicatur, quorum vis et sententia quoad pro modo ac fine susceptrae tractationis fieri potest, declaranda est, vt deinde eo magis expeditum sit, cum qua parte orationis praegressae commodissime eadem iungi possint acquirere et exstimare.

Ἐν αἵματι διαθήκης αἰωνίου subnectit auctor sacer. Et *sanguinem* quidem cuius hic mentio, non dubitari potest, ipsius illum *pastoris summi ouium e mortuis educti* intelligi; illum inquam sanguinem de quo identidem hac ipsa in epistola fuerat dictum. Est sanguis Filii Dei, qui vero vt nobis ex consilio aeterni patris rem restituere posset patiendo ac moriendo, ipse *carnis* esse voluit ac *sanguinis particeps* (Ebr. II, 14). Nec enim *alienum* (vt umbratiles illi sacerdotes V. T., sed *proprium* Deo offerre debebat verus hic aeternusque sacerdos (Ebr. IX, 25. 12). Huius vi ac valore ceu αἵματος ἕντισμοῦ (Ebr. XII, 24 coll. c. IX, 13. 14 et 1 Petr. I, 2.) *mundat*, mundatamque et a *peccatis* ablutam Deo sinit *ecclesiam* ipso hoc τιμῆς αἵματι *acquistam et redemptam*. 1 Ioh. I, 7. Apoc. I, 5. Eph. I, 7. V, 25 sqq. 1 Petr. I, 18. 19. Act. XX, 28.

Vocatur hic ipse sanguis h. l. αἷμα διαθήκης αἰωνίου. Consulto hic mittimus longas et partim satis perplexas disputationes, quae in constituenda ΔΙΑΘΗΚΗΣ notionem a variis variae susceptrae agitataeque sunt. Constat B. LUTHERVM nostrum, in versione vernacula huiusce loci, *Vulgatum* interpretem (vt saepe alias) et patrum occidentalis ecclesiae consuetudinem sequuntum esse in eo, vt *Testamenti* significationem graeco illi vocabulo potius quam *Foederis* subiectam esse iudicavit. Et illam quidem *Testamenti* notionem saltem in loco isto perdifficili Ebr. IX, 16 sqq. (ac similiter forte, vno alteroque alio,

vbi in fonte graeco Διαθήκη est) non posse non admitti, plerique omnes statuunt, paucis etiam hic aduersum tenentibus. De aliis nos hic non dicemus sententiam locis, in quibus quaedam περιεμνεα facilius nos ad Testamenti cogitationem posunt fortassis deducere; in nostro quidem aliisque pluribus non infitiamur adesse, quae pro altera illa, Foederis, militare videantur notione. Nam vel sanguinis mentio hic obuia propiorem haud dubie habet cum foederis quam cum testamenti instituto natura et ritui coniunctionem. Neque enim in Testamentis si suprema eius qui fecit voluntas valere ac perfici debeat sanguinis profusio, seu cruentum mortis genus requiritur, aut illius inter caerimonias adhibetur sanguis; cum contra notissimum sit, vetusto de more foedera iungentium, sanguinem et cruentas intercessisse victimas; quale quid in illius etiam foederis solennibus obseruamus, quod cum Abrahamo Deus fecisse legitur Gen. XV. Deinde idem hic foederis significatus in tabulis veteris instrumenti proprius est ebraeorum vocabulo ברית quod ipsum graeci Bibliorum interpretes suo Διαθήκη reddunt. Cum igitur in iis locis N. T. vbi mentio sit τῆς νέας vel τῆς καινῆς διαθήκης haud obscure remittamur ad illos locos prophetarum, vbi de antiquo foedere per Mosen factico Ex. XXIV. sed olim, succedente nouo, (ברית ה' חדשה Ier. XXXI, 31 sqq.) non amplius valituro loquantur, prouum omnino et procliue est ob mutuam rerum istarum relationem (Ebr. VIII.) in vna eademque foederis notione adoptanda sibi constare, quam in V. T. dictis modo excitatis ac similibus LUTHERVS etiam aliiue metaphraetae et enarratores constanter seruant. Interea certum est quod a nonnullis admoneri solet, cum vtrumque institutum et foederis et testamenti humanum sit et hominum societati et coniunctioni negotiisque proprium, haud par esse, vt momenta rationesque nimis subtiliter et minute persequamur atque ad viuum refecemus singula, sicubi ad Deum, ad diuinamque dicta, consilia et instituta vel hoc vel illud transfertur. Ac sane, quae hic commemoratur diuina διαθήκη multa vel cum foederibus qualia inter homines vigent, vel cum humano testamento communia habet κατ' ἀνάλογίαν, quae ipsa vero perfecta et praefectum quasi ad vnguem exacta requiri vt diximus nullo pacto potest. Atque etiam huc adferri solet, graecum verbum vnde Διαθήκη deriuatur tam late patere, vt hoc nomen etiam dispositionem quamuis, adeoque tam foederalem quam testamentariam designare possit. Id adeo ab vsu quoque veterum scriptorum non abhorret (in quo plus est quam in etymi ratione) vt modo foedus, modo testamentum notet Διαθήκη quamquam illud prius συνθήκη frequentissime audiat, et de posteriori a quibusdam aliquando addubitatum sit.

fit. (f) Possemus si placeat cum nonnullis *foedus testamentarium* dicere aut *testamentum foederale*, si nempe rem ipsam spectes hoc *διαθήκης* nomine significatam, cuius huc redit summa, certum innotumque Dei propositum esse, vt bona et beneficia spiritualis regni sui, *εὐλογίαν πνευματικὴν πᾶσαν* (Eph. I, 3.) et *αἰώνιον κληρονομίαν* (Ebr. IX, 15.) hominibus in Christo impertiat, obedientia fidei promissionem Euangelii acceptantibus, nulli autem legalium rituum formulae porro adstringendis. (g) Haec est illa *κρείττων* dicta *διαθήκη* Ebr. VII, 22. VII, 6. quae eadem hoc in loco encomio ΑΙΩΝΙΟΥΤ adornatur, idque non solum (quae THEODORITI est apud MILLIVM explicatio) *ὡς ἐτέρας μετὰ ταύτην οὐκ ἐσομένης*, sed propter *λύτρωσιν* quoque *αἰώνιον*, qua nitiur, Christi, et propter illam *αἰώνιου κληρονομίας ἐπαγγελίαν* de qua c. IX, 15. Conf. Tit. I, 2. 3. Rom. VI, 23. cer.

Set vt id quoque tangamus, de quo haud parum ambigitur, non omnino conuenit, quorum totus ille *προσδιορισμός* (*ἐν αἵματι δ. αλ.*) pertineat, et qua cum particula praecedentis orationis aptissime iungendus videatur. Haud paucos esse qui illum referri velint ad *τὸν ποιμένα τὸν μέγαν*, et maxime ad posterius vocabulum *τὸν μέγαν* iam supra diximus. (h) Hunc in modum vt alios taceamus CALOVIUS in *Bibl. illustr.* ad h. l. connecti vult. Alii contra illud ipsum incisum cum praeuio *ὁ ἀναγαγὼν ἐκ νεκρῶν* copulant, adeoque vt

B 3

cum

(f) Vid. praeter SVIDAM, quae collegit IO. ALBERTI in *Observar.* S. ad Luc. XXII, 19. Constat etiam, Syriaca et Palaestinenſi ciuitate idem gr. nomen *διαθήκη* illis temporibus donatum fuisse quo fere semper Int. Syrus N. T. vitur, ipseque Dominus in Institutionis S. Coenae formula aliquibus vsus creditur. Rabbini neutra significatio insolens in suo  $\text{דְּבָרֵינוּ}$  Vid. LIGHTFOOTI *Hor.* Hebr. p. 914.

(g) Non videtur analogum et congruens esse pluribus in ipsa Epistola ad Ebr. occurrentibus effatis, in quibus *διαθήκης* vox exstat et indoles exponitur, cum ALTINGIO aliisque de pacto illo hic cogitare quod de reparanda hominum salute cum Filio suo ab aeterno (*πρὸ χρόνων αἰώνων* 2 Tim. I, 9.) Pater pepigerit, et quod ex Pl. II. aliisque declarari solet locis, Rem quidem ipsam si *διοπαρῶς* exponatur non impugnamus,

(h) Sunt etiam metaphraſes quaedam accuratiores (quibus alias vitio dari non solet, si ambiguitatem originalis textus et ipſae reddant,) in istam sententiam, vt si vnice vera esset et necessaria, ab auctorebus suis h. l. factae. Sic ER. SCHMIDIVS: — *qui reduxit ex mortuis illum per Sanguinem aeterni Testamenti pastorem cuius magnum.* Similem in modum BEZA, qui et in notis ad h. l. suis conferri potest. Idem recentioribus quibusdam placuit, vt Gallis cum Montensibus, tum Berolinensibus INFANTI et BELLOSORIO; quorum illi h. m. *qui par le sang du Testament éternel est devenu le grand pasteur des brebis*, hi vero: *qui en vertu du Sang — a été fait le Grand Pasteur d. b.* Cuius versionis conditores tamen in notis ad h. l. alteram etiam adferunt connectendi rationem. Adde HEVMANNVM in vers. germanica, alios.

cum schola loquamur ad designationem non *obiecti personalis* sed *actus et operis diuini* circa id ipsum, referre malunt. Nec abludit vis vsusque voculae ἐν, ad instar ebr. ἄ admodum πολυσήμου, passimque omnino id denotantis, quo ad rem aliquam mouemur impellimurque, v. c. Matth. VI, 7. Act. VII, 29. coll. LXX i Sam. XXVIII, 10. i Cor. IV, 4 cet. Quod si h. l. sequamur, (quo fere magis inclinatur animus) hoc diceret Paulus: *propter ipsam*, huius ἀματεκχυσίας rationem ac vim, fuisse Deo Patri decorum, (c. II, 10) vt quem nostra causa, nostroque bono morti addixisset, eundem ex sepulcro et morte educeret. Neque existit inde meritum (ἀνεβδῆς ita dictum) Christi ad ipsummet spectans, quod huic interpretationi CALOVIUS obiicit. Nobis omnino quidquid meruit, vnice Seruator meruit, cui quidem ius erat manebatque ex vnione personali naturarum, ad omne diuinum ἀξίωμα, ad vitam immortalem et plenum in hac maiestatis vsu. Sed tamen si hoc maneat, non alienum est a Scriptura, si dicamus causas fuisse vrgentissimas quae Deum eiusque iustitiam, bonitatem, veracitatemque ita impulerint ad praestandam Sponsoris nostri ἀναγωγὴν et ὑψώσιν, vt hoc intuitu dici possit cum Petro Apostolo: ἐκ ἦν δυνατόν κρατεῖσθαι αὐτὸν ἐπὶ τοῦ θανάτου Act. II, 24.

Id vt ex nostri oraculi ipsis verbis breuiter declarem, duo in primis, quae huc faciunt, considerata videntur attentius. Nam *primo* propter ipsum sanguinem, h. e. vt c. II, 9. dicitur διὰ τὸ πάθημα τῆ θανάτου Iesum ex mortuis eductum quid vetat dicere? Erat enim cruenta illa mors (ceterioribus etiam doloribus iniuriis et παθήμασι hic comprehensis) vicaria et piacularis, eo quod humanorum criminum culpam poenamque volens in se transtulerat ipse ab omni labe ac vitio proprio vacuus redemptor. Quid ergo? poteratne abesse, quin pater indulgentissimus idemque iustus et promissorum seruantisissimus, soluto quod requirebatur lytro, vitae ac libertati restitueret et gloriam gaudiumque illud velut pulcherrimum ἄθλον luctanti propositum Ebr. XII. 2. tribueret, praestaretque quod ex ipsius persona faidico spiritu pridem dixerat Dauides Pf. XVI. *Notam mihi facies* (experiando nempe) *semitam vitae, satietatem gaudiorum* cet. Id adeo in ipso quem paulo ante excitabamus loco Ebr. II. laet, ac patet potius argumentum. (1) Similiterque *humilem* illam *ad crucis adeo supplicium* Domini *obedientiam* cum insequuta reddita vitam gloria connexuit Paulus Phil. II. 6 sqq. ac tum v. 9. διὰ καὶ — κ. λ. Quin et Esaias cum tanto ante per Spiritum S. vt cum Petro loquamur (i Petr. I, 11.) τὰ εἰς Χεῖρὸν παθήματα καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας testaretur, nonne eadem prorsus ratione ista per-

(1) Nec enim probandi videntur, qui illa διὰ τὸ πάθημα τ. θ. ad praecedens ἡλωταμένον retrahunt; nec cum ratione vrgente deseritur significatio voculae διὰ quam si

quarto casui iungatur vsitatissime reinet, διακελευῖς etiam ab altera syntaxi paullo post posita c. 10. δι' ὃν τα πάντα καὶ δι' οὐ. κ. κ.



perspicue exfereteque copulat? c. LIII. 10. 11. 12. Ita nimirum re ipsa, qui iustus pro iniustus cuncta perpesus erat (1 Petr. III, 18.) ipse *iustificandus* erat, ut ita *Deo viueret quod viueret*, quemadmodum *mortuus fuerat peccato*, ad aliena videlicet peccata expianda et tristissima quaetus horum consecraria abolenda, *εἰς ἀθέτησιν ἀμαρτίας*. Ebr. IX, 26. Ef. L, 8. 1 Tim. III, 16. Rom. VI, 10.

Deinde etiam ex eo necessariam, certam, Deoque dignam fuisse apparet illam de qua vidimas ἀναγωγὴν ἐν νεκρῶν, quod *aeternum* est sicut et audit h. l. sanguine Christi sancitum *foedus*. Sic per Esaiam iam olim pollicitus erat Deus כרית יולם *foedus aeternum* Ef. LV, 3. quo continerentur הנאמנים i. e. *beneficia Davidi promissa* (in Christo nempe filio Davidis ac herede) eaque non fluxa et caduca sed perpetua et stabilia; (vbi c. XXXIII, 16. LVIII, 11. pro illustranda epitheti הנאמנים potestate conferre iuuerit). Quem ipsum locum (k) adlegans ad Iudaeos Antiochenos in synagoga ipsoꝝ verba faciens Paulus (Act. XIII, 34) indidem vincit, *resuscitandum* fuisse *Christum* et quidem, (quod hic etiam in ἀναγωγῇ ἐν νεκρῶν includi vidimus) μὴ μέλλοντα ὑποσέφειν εἰς διαφθοράν. Sic ergo et hac in parte datam Deus liberauit fidem, rediuuium sistens Iesum Christum *ex semine Davidis oriundum*, id quod notanter cum resurrectione Domini Paulus coniungit 2 Tim. II. 8. ad locum Esaiæ fortasse et similes de illis חסרי דויה agentes tacite Timotheum suum remittens, cui multa paucis ac vel nutu dicere poterat. Sic porro periculum non erat, ne quid deficeret deesfetque eorum, quae pro aeterno foedere expectari poterant, bonorum caelestium vtriusque regni et gratiae et gloriae, (quae sunt κρείττους illae ἐπαγγελίαι *foederis*, cuius Christus μεσίτης dicitur Ebr. VIII, 16.) quandoquidem ipse μένων εἰς τὸν αἰῶνα c. VII, 24. et δυνάμενος σώζειν εἰς τὸ παντὲς (ib. v. 25.) *ad dextram Dei confederit*. c. X, 12.

Habetis, Ciues, quae pro tempore quod sacrum ciuitati christianae festumque est paucis disputare visum est. Enimvero huius ipsius ciuitatis quae a rege et capite suo nomen habet, quandoquidem et Vos, qui sapientiae omnisque excellentioris doctrinae studium profitemini, pars esse vultis, eaque haud ignobilis, danda erit vobis opera, tales vt Vos praestetis, quo cogitata et dicta, quorum vota, consilia, studia, vita denique moresque non abhorreant ab ea professione, quae nunc publice fit et propria est sacri huius temporis, quamquam nullo vnquam dimitienda. Huius summa veteri illo solemnique christianorum hominum tamquam symbolo continetur, ΧΡΙΣΤΟΣ ἌΝΕΣΤΗ. Qua in professione cum ea insint quibus summa salus nostra continetur, cardo spei vertitur, et omnino omne agitur (quod quidem veri nominis fit) in secundis prae-

(k) Sequitur quidem Paulus aut scriptor Actuum Lucas h. l. τοῦ ὁ. Sed solent hic saepe non natio graecorum vocabulorum significatu sed ad ebraeumflexo, verba ponere, quomodonil aliud τῆ δόξῃ notant quam *beneficia*.

praesidium et solacium in aduersis ipsaque morte: non sane hoc fuerit secum habitantis animi et suum his tantis rebus pretium prudenter statuentis, si quisquam vestrum sustineret vel per hos dies minutis rebus, inanibus, ludicris se dedere, et profanam hoc genere mentem ita pascere, vt vere cum *Hoc agendum* esset, alias res agere dici posset deberetque.

Adeste potius animis o Viri, o Iuuenes! socordiam, leuitatem, et quidquid vitiositatis veris commodis Vestris ac saluti summae ob stare videtur, mittite, deponite. Quo enim saeculi auctoramento compensari posse creditis damnum quod animus subit qui expers diuinorum manet quae Christi resurrectione pandit bonorum, ad quae nugae dixeris caetera, et vix tresis aestimanda crepundia.

Vetat gloriosa Christi ex morte resurrectione, cuius causa anniuersaria haec antiquitus instituta est supplicatio, dubitare, quin summa in tantum tam beneficium regem pietate esse debeamus, summo officio. Quod si is qui eum nobis viuum exhibuit, *Deus pacis*, hoc ipso facto, his rerum testimoniis, qua in nos miseris voluntate esset declarauit aperuitque, quid obstat quo minus positus infestis tandem insaufisque armis, quae contra ipsum peccando adhuc forte tulimus, supplices ad ipsum confugiamus, beneficioque vtamur fruamurque, quod prior ille nullis nostris precibus motus, nullo merito prouocatus, ausis hostilia obtulit.

Proponite, o Nostris, ob oculos magnum illum qui in Euangelio celebratur *εἰρηνοποιῶν* inter Deum et mundum rebellem qua patet vniuersum! Illum dicimus animorum verum aeternumque *ποιμένα καὶ ἐπίσκοπος*, IESVM! In hunc mentis oculos omnemque perpetuo aciem intendite! Ebr. XII, 2. Hunc non fugata fide vestrum facite, dum ipse vester et vos suos esse vult! Huius quanta sit vel in fouendis ouibus suis indulgentia, vel in regendis sapientia, vel in tuendis, potentia, videte, vt ex sua quisque parte discat experiundo! Nolite ipsum, hoc est summum ipsius in vos morte pariter partum et vita resumta ius atque imperium, si non verbis at perpetua vita abnegare! ne ipse aliquando Vos neget sistendos ipsius iudicio ac tribunali 2 Cor. V, 10.

Haec et quae his adfinia sunt et cum dictis coniuncta reputate etiam atque etiam! sunt enim Vobis vel in primis digna haec et maxime salutaria. Reputate autem illa, prout ex diuinis litteris his diebus penduntur, hoc modo et hoc cum fructu, vt seriis ea ipsa a Deo precibus petere ne pigremini, et cauere, ne supplicationes eiusmodi ad Deum mitrendas (quod nunc proh dolor! a multis sit) alienas a Vobis, indecoras, aut vanas existimetis. Sic *Deus* ille *pacis* Vobis aderit, sic votis, studiis coeptisque Vestris successum prosperum tribuet.

P. P. in Academia Fridericiana d. viii. Id. Apr. qui in factis sacris est

Vigilia Paschae a. c1810cclxv.



78 L 1708

ULB Halle

3


002 390 507



Sb.

Hi. 100.





FRIDERICIANAE REGIAE  
 P R O R E C T O R  
**A N D R E A S D E S E G N E R**  
 REGIS A CONSILIIIS INTIMIS  
 MATHEMATVM PROFESSOR PRIMARIVS

CVM DIRECTORE

ET

RELIQVO SENATV ACADEMICO

**FESTOS PASCHAE DIES**

RITE CELEBRANDOS

INDICIT

PRAEMISSA DISPVTATIONE


QVA

DE MAGNO ILLO OVIVM PASTORE IESV CHRISTO  
 E MORTVIS EDVCTO

EX

EBR. XIII. COM. XX.

DISSERITVR.



H A L A E  
 TYPIS ORPHANOTROPHEI

CICIDCCLXV.

*Autor professor  
 Dr. phil. August Segner*

